







Σὺν Θεῷ 1610 5

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

DE

SUBSTANTIA.

In Inclytâ V Vittebergensi Academiâ
publicè proposita.

PRÆSIDE

M. NICOLAO HUNNIO,

Marpurgensi; Fac. Phil. Adjuncto,

Respondente

JOHANNE LINGIO,
Oldenburgensi

Addiẽm 22. Septemb.

In Auditorio Philosophico horis à sext à matutinis.

VVITTEBERGÆ

Ex Officina Typographica Joh. Gormanni,

Anno M. DC. X.





ILLUSTRISSIMO ET
Generosiss. Domino,
Domino

ANTONIO GÜNTHERO,
Comiti in Oldenburg, & Delmenhorst,
Dynastæ in Iever, & Kneiphau-
sen, &c.

Domino, & Comiti suo
clementissimo,

Ætiam hanc humiliter, & submissè

offers

Respondens.

Σὺν Θεῶ
DISPUTATIO
De
SUBSTANTIA.

I.



Substantia Græcis ἐσία, (essentia) nuncupatur, eò, quòd Entia quæcunq; cætera nullum esse à seipsis, sed tantùm à substantia habeant, quæ sola proprium εἶναι possidet.

2. In cujus naturam cum paululùm inquirere steter animus, tria hæc pensi habebimus, ut consideremus 1. definitionem substantiæ, 2. Ejusdem propria, 3. Divisiones.

3. Substantia definiri consuevit *ens per se subsistens, & accidentibus substans*: non quidem definitione, sed qualicumque descriptione.

4. Ens namque genus est ἀφ' ἐνός: τὸ γὰρ τί ὄντι ἀπλῶς μὲν ὑπάρχει ταῖς ἐσίαις, πῶς ἢ τοῖς ἄλλοις. Aristot. ζ. Met. 4. unde ἀπλῶς ὄν eidem vocatur *ibid. o. i.* Et ratio est; quia esse accidentium est inesse substantiæ: ἡ συμβεβηκὸς ἔτε καὶ ἀπὸ πεφυκός, ἔτε χωρίζεται διωκτὸν τῆς ἐσίας. ζ. Met. 1.

5. Quamvis autem & accidentibus suum cuiq; sit εἶναι, à genere suo, ac differentiâ, hoc tamen imperfectum ὑπάρξεν à sola substantiâ promanante. Hæc ergò absq; substantia incompleta; sine illis verò substantia completa.

6. Differentia definitionis duo complectitur membra. I. *Per se subsistere*; h. e. non in alio. Quo non excluditur subsistentia in alio ὡς τῶ; neque omninò partis in toto aut coexistentia partis cum parte: nec dependentia negatur *in fieri* à causis particularibus; neq; *in esse* ab universali: nec essentialis substantiarum secularium in primis existentia: sed sustentatio aliis causæ particularis, definitione à substantiâ differentis.

7. Cumq; aliud sustentet à priori ut causa, aliud à posteriore, ut necessarium consequens, vel causa sine qua non; substantiæ

A 2

non

non repugnat, conditionibus circumdatum esse, sine quibus non existat; modò à priori nullum sustentans, vel substantiam largiens habeat.

8. Brevibus hoc *Aristoteles* complexus est, requirens à substantia, ne cui insit *ὡς ὑποκείμενον lib. categ. cap. 5. §. 12. ideo καὶ μηδενοῦς ὑποκείμεος καὶ ηγορεῖται ἢ ἕστια. Aristot. lib. de long. & brev. vita cap. 3.*

9. II. *Substare accidentibus.* Quod ut perpetuum est, ita minus proprium substantiæ requisitum, quamvis diversum Zabarella placeat *tabul. Logic. pag. 109.* Nam prius illud (per se subsistere) internum est, hoc externum: illo ad seipsam refertur substantia, hoc ad aliud.

10. *Perpetuum* hoc requisitum dixi: ubi nec completam, nec incompletam; nec corpoream aut incorpoream excipio. Deo interim nulla adscribimus accidentia, ut frustra veretur *Temperus lib. 4. Met. cap. 1. quest. 4.* quin potius vel hoc etiam nomine substantiarum classe exemptum volumus.

11. *Substare* unum alteri dupliciter dicitur, *ἑσσιωδῶς, & ἐπισσιωδῶς.* Modus prior est singularium universalibus substantiam largientium. *Arist. lib. categ. cap. 5. §. 2.* Posterior *ὑποκείμενων* est & substantiarum, quo accidentia fulciunt. Idq; *substare* (proprie loquendo) nihil est aliud, quam accidens perenni & continuatâ generatione producere, ut in lumine solis, ignis, specierum intentionalium &c. clarè liquet.

12. II. *PROPRIA* substantiarum *Aristoteles*, ac *Peripatetici* hæc cum primis numerant. 1. *Substantia prior est accidentibus: ἕτε λόγῳ ἕτε ἡρόνω ἕτε ἡμέσῃ τὰ πάντα τῆς ἕστιας πρότερον. Arist. β. Met. 13. πάντων ἡ ἕστια πρότερον καὶ λόγῳ καὶ ἡρόνω καὶ φύσῃ. ζ. Metaph. 1.*

13. Duo docet. 1. Substantiam esse priorem omnibus (quæ sc. sunt non-substantiæ, h. e. accidentia.) 2. Quibus modis sit prior. Horum posterius cum explicet prius, consideratis modis, quibus substantia prior accidentibus, res omnis expedita erit, & liquida.

14. Prius autem unum altero existit. 1. *κατὰ τὸν ἡρόνον;* Bellum Trojanum clade Cannensi. 2. *κατὰ τὴν φύσιν;* genus specie. 3. *κατὰ ἀξίαν;* rex subditis. 4. *τῷ λόγῳ,* definitione. 5. *τῇ γνώσῃ;* quod sine altero cognosci potest; sine hoc verò illud non item.

Vid.

Vid. Arist. lib. categ. c. 12. d. Metaph. Dn. Jac. Mart. lib. 1. exerc. Met. 13.

15. Prior est substantia accidentibus 1. τὸ πρότερον, non quasi unquam extiterit substantia non extantibus aliquibus accidentibus; sed, quod substantijs jam tūm in actu completo constitutis nonnulla supervenire soleant accidentia. Proinde, proprietas hæc particulariter ad quædam saltem accidentia pertinet.

16. 2. τῇ φύσει; quatenus natura τὸ συμβεβηκότ & perfecta sine substantijs esse nequit; cūm vicissim hæc ad sui esse substantias prærequirant. 3. τῇ ἀξίᾳ, dignitate: dignior est accidentibus substantia 1. quia perfectior. 2. in operando accidentia dirigens. 3. Totum esse accidentibus largiens.

17. 4. τὸ λόγῳ definitione. Substantiæ sine accidentibus sunt, non hæc absq; illis: priores ergò essentiâ cūm sint, utiq; & definitione præcedere oportet. 5. τῇ γνώσει. Uti res sunt ita definiuntur. Ut definiuntur ita sciuntur. Collectio jam facilis.

18. II. Substantia nihil est contrarium. Ὡς ἀρχὴ τῆς ἰσότητος τὸ μὴ εἶναι ἀντικείμενον εἶναι. Arist. lib. categ. cap. 5. §. 18. Non excluduntur ἀντικείμενα, quæ substantiarum quoq; sunt, sed ἐναντία.

19. Duo innuit canon. 1. Nullum ens substantiæ contrariari, Arist. lib. 1. Phys. c. 6. §. 52. & lib. 5. Phys. cap. 2. §. 10. id quod accidentia cūm primis concernit. 2. Substantiam substantiæ non esse contrariam; quò plæriq; Logici respiciunt.

20. Utut verò se habeat, contraria vel directim pugnant, ac seipsis contrariantur: vel obliquè, & mediantibus quibusdam primò contrarijs opponuntur. Substantiæ non contrariatur substantia propriè, ac immediatè, sed tantūm per medias qualitates primò contrarias.

21. Neq; substantia accidentibus contrariatur; siquidem genere distant: cūm contraria eodem genere comprehendantur. Arist. lib. 4. top. 3. §. 7. sic Met. 4.

22. III. Substantia non recipit magis, & minus, δοκεῖ ἢ ἰσότης μὴ ὑποδέχεται τὸ μάλλον, καὶ ἧττον. Arist. lib. categ. cap. 5. 20. Trita satis distinctio logicorum inter considerationem substantiæ κατὰ τὰ εἶδη; & κατὰ πλάτη;: ita, ut priorè quidem modo substantiæ primæ magis sint substantiæ, quàm secundæ: posteriorè verò magis & minus inter ipsas nuspiam inveniatur.

23. Dixerit sanè aliquid hæc distinctio si integram substantiæ coordinationem consideres: confert autem hic canon substantiam unam & eandem vel secum ipsâ, vel cum alia ejusdem proximæ speciei: ubi distinctio posita prorsus expirat. Idq; Aristoteles his claris verbis docet: ἐκάστη ἄσια τῶν ὅπως εἶναι, ἢ λέγεσθαι μᾶλλον, καὶ ἦπλον. Et rursus: λέγω δὲ, ἔχ, ὅτι ἄσια ἄσιας ὅτι εἶναι μᾶλλον, καὶ ἦπλον. lib. categ. cap. 5. S. 20.

24. Cùm ita respiciat canon unam, eandemq; substantiam; distinguendum erit inter magis & minus adverbialiter; & majus, ac minus nominaliter sumtum. Ut demus maximè, posterius hoc in quamvis ferè substantiam cadere; prius tamen vel maximè à substantijs segregatur.

25. Ut sensus sit; uni numero, vel specie proximâ substantiæ definitionem substantiæ modò magis, modò minus, sed semper ex æquo comperere.

26. Præterea: distinguendum inter substantiam ex essentiâ, & existentiâ æstimatam. Nolumus proprietatem de posteriore intellectam: dum enim existit substantia ad modum totius, magis substantia est, existens ad modum partis, minus. Quapropter ad essentiâ substantiæ convenienter accommodatur.

27. III. DIVISIONES substantiæ tres præcipuè se offerunt. 1. In completam & incompletam. 2. In primam, & secundam. 3. In spiritualem, & corpoream. Postremam consultò prætermittimus; de prioribus duabus paucis acturi.

28. Quò ad primam, aliud est, substantia perfecta, vel imperfecta; & aliud completa, & incompleta. Pullus gallinaceus, quandiu in putamine ovi latitat, imperfecta substantia est, non verò incompleta.

29. Cùm igitur substantiam dicimus in completam, non æstimamus eam ex suo genere; siquidem genere perfecta esse debet, ut perfectior esse nequeat (alias præter incompletionem accederet & imperfectio) sed ex comparatione ad alias substantias; dum enim una ad alteram se habet ut pars ad rotum, hoc ipso complementum sui totius non assequitur, nec est propter se, sed propter istud rotum, ideoq; incompleta nuncupatur.

30. Quæ comparatio duplex est: alia namque substantia est tantum,

rantum, & ἀπλῶς propter alius substantiæ constitutionem; propter se verò nullo modo, ut prima, & simplicia rerum principia, materia, & forma: alia verò κατὰ ἡ, h. e. ita propter substantiæ constitutionem, ut tamen sit etiam propter seipsam: quo in genere numerantur Elementa, quæ utut sint propter mixtum (& hactenus incompleta entia) sui tamen ipsius quoq; gratiâ in naturam sunt reposita; (hocq; respectu completa) Atque huic generi rationalem animam citra inconvenientiam annumerari putamus.

completam proinde substantiam dicimus, quæ in suo genere perfecta modo incompleto, & ad modum partis existit.

32. Completam; quæ, si maximè pars esse possit alterius, per se tamen, ac solitariè existere valet; atq; tunc speciem quandam perfectam constituit.

33. Tria hujus requisita numeramus. 1. Sit χωριστῆ separabilis imò à cæteris separata. 2. Non versetur in fieri, sed in esse perfecto, & absoluto consistat. 3. Non sit necessitate quadã ad aliud constituendum ordinata. Quorum trium uno deficiente, jam completam substantiam minus rectè dixeris.

34. Secunda substantiam dirimit in primam, & secundam. Primam, quæ singularis est, definit Aristot. lib. catag. c. 2. §. 2. & cap. 5. §. 1. ἢ μήτε κατὰ ἑἰσποκλιμένῃ τινὸς λέγεσθαι, μήτε ἐν ἑσποκλιμένῳ τινὶ ὄντι. Secundam, quæ universalis, ἢ κατὰ ἑσποκλιμένῃ ἑνὸς λέγεσθαι, ἐν ἑσποκλιμένῳ δὲ ἑδενί ὄντι. Ibid.

35. Divisionis fundamentum est existentia; Ut enim universales substantiæ suas præ singularibus habeant prærogativas, in his tamen (unicè fortassis) præstant secundis primæ, quòd I. hæ per se existunt, ita ut nullius alterius sint indigæ: universales verò nisi in singularibus existere nequeant; Διὰ τὸ τοῖς ἄλλοις ἀπασιν ἑσποκλιθεῖν, ἢ πάντῃ κατὰ τὰ ἄλλα κατὰ τῶν κατηγορεῖσθαι, ἢ ἐν ταῦταις εἶναι, Διὰ τὸ μάλιστα ἑσποκλιθεῖν λέγονται. Aristot. lib. categor. cap. 5. §. 7.

36. II. Substantiæ universales prædicantur; singulares ob subsistentiam (qua nullo modo alteri insunt) completam, & singularitatem suam non prædicantur, sed tantum subjiciuntur.

Subjici

Subjici autem solius substantiæ est, prædicari etiam accidentium: magis ergo substantiæ sunt primæ, quàm secundæ.

37. Diximus substantiam primam includere secundam: quod de essentiali participatione, quam μέθεξις, seu μετόχλις vocant, (quando nimirum aliquid ita inest alteri, ut nomen & definitionem illius pariter recipiat.) accipiendum; non de συνδυάσις, qui modus aut partium, aut accidentium est. Itaq; substantia universalis est in singulari non tam mentis conceptu, quàm realiter.

38. Cumq; secundæ substantiæ duplices sint; 1. Genus. 2. Species: nulla datur prima, cui non utraq; secunda inest; discrimine tamen evidente. Genus singulari inest ἐμπέσως per Species ἀμέσως. Genus ut pars primæ Substantiæ; Species ut totum.

39. Totum puta γένους, non ὑπάρξεως. Nihil enim essentialle est singulari, neq; naturam qualemcunq; in singulari invenies præter toti speciei communem. Vanum est itaque, Ramum realem quandam singularitatis formam constituere, qua tum primæ substantiæ à secundis, tum primæ à primis determinentur.

40. Totum verò ὑπάρξεως singulari Species non est: aliàs Species πρώτως, singularia ὁρίεσθαι existerent; nec esset, quod inter singulare & singulare specie convenientia, aut ipsam speciem, & singularia discrimen aliquod poneret.

41. Porro; prima substantia duplex est; natura, & suppositum. Equidem natura omnis specierum est, ac universalium: sic verò statuimus: singulare vel natura est (non quatenus natura; hætenus enim species est) sed ut per Individuificum principium ad singularitatem redacta,

42. Vel suppositum: quòd à natura distinctum, quia singularis est materia prima; nec tamen suppositum: forma singularis, nec tamen suppositum: in mixtis Elementa singularia; in homine singulare caput, pedes, digiti singulares; quæ tamen omnia quis supposita dixerit?

43. Suppositum (ὑφιστάμενον) itaq; definimus substantiam singularem completam incommunicabilem. Cujus duo priora membra modò fuisse exposita, de incommunicabilitate aliquid dicendum.

44. *Res incommunicabilis est vel naturæ, vel supposito.* Incommunicabilitas intelligenda, non qua natura supposito, aut hoc illi, sed qua suppositum supposito sese communicat.

45. Communicabilem dico naturam supposito, & vicissim hoc illi: sic enim natura apertè nos docet. Homo recens natus, quantulus est! persona tamen, & suppositum. In perfectum is virum excrescens, annon materiam subinde novam, sicq; novam naturam (partialem) augmentando assumit? ossium partes, carni-um, venarum, &c. in personam & suppositum viri per accretionem receptas quot quæso, quantasve invenies? quibus omnibus personam viri se communicasse, nescio, quisquam negare auserit.

46. Similiter natura speciei integra suo se communicat supposito; ut Petri humanitas homini Petro, non tanquam ἀλλω (neutraliter) sed ut ἀλλω (masculinè) nec ut res rei, sed ut quasi pars suo quasi-toti.

47. Suppositum ergò naturæ, & naturam communicari supposito, manifestum est: incommunicabile verò definitio dixit alij supposito.

48. Elucescit ex dictis, naturæ, ac supposito discrimen intercedere: exoritur autem quæstio, unde hoc discrimen, quodve principium, quam causam habeat?

49. Tria in supposito se offerunt. 1. ἰσότης. 2. ὑπαρξίς. 3. τρόπος ὑπαρξέως. Requirit etiam suppositum naturam completam, quæ non sit pars alterius, aut essentiali nexu alteri sive ut pars parti, sive ut toti connexa; sed per se completa; ea tamen suppositum non perficit, utpote quæ ipsa potius supposito inest, inque eo limitatur, & completur.

50. Ὑπαρξίς naturam istam (alias universalem) ad singularitatis terminos redigit: verum & illa naturæ cum supposito est communis, ut constituere suppositum nequeat. Ex thesi 42.

51. Restat unicè τρόπος ὑπαρξέως, latinis modus existendi aut subsistentia dictus, qui hoc discrimen efficiet: eumque à Philosophis definitum videas: modum existendi cum independentiâ, & incommunicabilitate.

B

52. Modus

52. *Modus est, non res,* (unde aliqui non incongruè medium, seu tertium quid inter substantiam, & accidentis hunc modum, constituunt) modus tamen non mente formatus, sed realis; & quidem realis-substantialis: idèò naturam à supposito non mentaliter sed realiter, & quidem substantialiter (etsi non re, nec substantià) differre facit.

53. *Existendi modus* nuncupatur, quia non immediatè rei, sed rei existenti supervenit: seu, mediante existentià naturam terminat, & per hanc naturam inest.

54. *Existentiã etiam perfectã* intelligitur, non coexistentiã, quæ partium est: non inexistentiã, quæ vel naturarum universalium, vel accidentium; sed *ναὶ ἐξολω* existentiã, quæ non nisi substantiarum completarum.

55. *Consequens est:* quidquid existit ad modum partis subsistentiã propria præditum non esse; & omne suppositum existere ut quid totum.

56. Atq; huc respicit etiam vox *independentiæ*, quæ suppositum ab alio (ut causa particulari) in essendo, & existendo dependere negat. De incommunicabilitate supra.

57. Ergò suppositum nil est, nisi natura *ἰνδιαιτητὸς* limitata, h. e. independentis, & incommunicabilis. Ergò re natura & suppositum non differunt.

58. *Constat ex dictis:* 1. suppositum à naturã, realiter differre. 2. differre non per rem, sed modum, eumque realem, & substantialem; qui tamen nec substantia sit, nec accidens. 3. Qui faciat, ut nec essentiã nec existentiã ab alio petat. 4. Et alij supposito non sit communicabilis.

59. Tandem: suppositum, ut aliàs latæ significationis est, ita cum in intelligentem, & non-intelligentem dividitur, sit nomen speciale, & non-intelligenti absolutè, ac citra omnem restrictionem, vel additionem tribuitur.

60. *Intelligens verò speciali nomine ὑπόστασις*, sive persona indigitatur, quæ à supposito non formaliter, seu per differentiã genus restringentem, sed materialiter differt; ita, ut si natura suppositi sit intelligens, jam *ὑπόστασις*, aut persona; si non-intelli-

intelli-

intelligens, absoluto nomine ὑποκείμενον, vel suppositum vocetur.

61. In quem sensum personarum à Theologis, tum Philosophis definitur *subsistens vivum, intelligens non sustentatum ab alio.* Idcirco; quicquid de supposito dictum, de persona verum erit; nec de hac quicquam scire datur, quod non suppositum ipsum concernat, præter id, quod innuebatur modo; *materiam suppositi (specialiter dicti) naturam non intelligentem; personæ intelligentem esse.*

F I N I S.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011





SB

VD17

Retrokonv,







B.I.G.

Farbkarte #13



1610 5

PHILOSOPHICA

SENTIA.

sensi Academia

DE

HUNNIO,

hil. Adjuncto,

LINGIO,

sensi

ptemb.

is à sext à matutinis.

ERG Æ

ca Joh. Gormanni,

D C. X.

33

